

potest revocari : secus in iis, qui nondum venerunt. Idem ergo dicendum in aliis similibus.

### TITULUS III.

#### De Rescriptis.

1. *Ratio ordinis. Convenientia, et differentia inter leges et rescripta.* — Post constitutiones recte agitur de rescriptis, propter magnam horum cum constitutionibus affinitatem : siquidem et rescripta connumerantur inter placita principum, quæ legis habent vigorem, juxta illud l. 1. ff. de *Constitut. princip.* « Quod principi placuit, legis habet vigorem : » sumendo videlicet legem large, seu pro quacumque principis voluntate. Alioquin vero inter leges, et rescripta, sunt plures notabiles differentie : nam lex proprie accepta fertur pro tota communitate, et communi civium utilitate, can. *Erit autem*, dist. 4. et l. 1. ff. de *Legib.* Rescripta vero directe dantur in favorem privatorum, qui ea a principe, ut puta a summo Pontifice, mediante prævia supplicatione, consultatione, aut relatione impetrarunt. Insuper ad obligationem legis requiritur solemnitas ejusdem publicatio : secus est in rescriptis, quæ tunc dicuntur publicari, quando judici presentantur. Ant. Burgos, *Repetit. in Rubric. de Rescriptis*, numer. 54. Tacentur aliæ differentie, de quibus in progressu : unde non immerito compiler juris canonici pont speciales rubricas *De Constitutionibus*, et *de Rescriptis*. Et de his nunc agendo, sit :

#### § I.

##### DE NATURA, ET DIVISIONE RESCRIPTORUM.

2. *Rescriptum, quid?* — Quæritur I. Quid sit rescriptum, quibusque partibus constet? Resp. I. *Rescriptum* in proposito esse datum a principe responsum in scriptis ad alterius consultationem, relationem, vel supplicationem. Ita Abbas, ad rubric. h. t. num. 2, Hostiensis, et alii. Licet enim vi nominis *Rescriptum* idem significare videatur, ac *Responsum scriptum*, quod nimirum rescribitur absenti (nam cum absente loquitur, qui scribit epistolam, et mittit nuntium), nihilominus impræsentiarum per rescriptum intelligitur

solummodo id genus epistolarum, quibus princeps, ac præsertim summus Pontifex supplicantibus, referentibus, aut sese consentibus respondere solet. Unde in diversis capitulis juris canonici, utpote quod secundum magnam sui partem ex decretalibus epistolis, seu rescriptis summorum Pontificum compilatum fuit, passim occurrunt hujusmodi initia : « Consulisti, consuluit, insinuante, insinuatum est, significasti, postulasti, » et hujusmodi.

3. *Rescripti nomen, quibus conveniat?* — Dicitur primo in allata rescripti definitione, « datum a principe responsum. » Ubi per principem intelligitur Romanus Pontifex, utpote Ecclesiæ universalis pastor, Christianique in terris vicarius; vel (loquendo de rescriptis principum sæcularium,) imperator, reges, alique principes superiores in terris non recognoscentes; nam et horum decretalibus epistolis, *Rescripti* nomen attribuitur; ut l. 1. ff. de *Appellat.*; ibi : « Quæsitum est, an adversus rescriptum principis provocari possit, » et alibi. Porro litteræ inferiorum, v. g. episcoporum, vix dicuntur rescripta, sed magis usitate appellantur litteræ, v. g. absolutionis, excommunicationis, et hujusmodi, ut fit c. *Olim*, 25, h. t. ibi : « Ipsi absolutionis litteras concedentes. »

4. *Absolute prolatum in ecclesiasticis, accipitur pro rescripto papali.* — Unde rescriptum in ecclesiasticis simpliciter, et absolute prolatum, accipitur pro rescripto papali; quamvis et hoc non raro nomine *Litterarum apostolicarum* indiget, ut c. *Nonnulli*, 28, h. t. et c. *Ex parte*, 3, de *Capell. monach.* et alibi.

5. *Vivæ vocis oraculum, quid?* — Dicitur secundo, « in scriptis. » Per hanc siquidem particulam differt rescriptum a vivæ vocis oraculo; quod est responsum principis ore tenus datum, et non in scriptis. Nam vivæ vocis oraculum nihil aliud est, quam concessio, seu gratia a principe cuiquam facta ore tenus, sine scriptura; sive dein fiat motu proprio principis, sive ad instantiam partis. Hyacinthus Donatus, tom. I. *Praxis rerum regular.*, tract. XV, n. 1 et alii.

6. *Quibus de causis rescripta concedi soleant?* — Dicitur ulterius, « ad alterius consultationem, relationem, vel supplicationem. » Nam hisce tribus de causis præcipue rescripta pontificia concedi solent : quamvis etiam, si motu proprio Papa cuiquam personæ, aut communitati particulari aliquid

mandet, vel indulgeat, quod facit jus speciale in negotiis, vel personis, pro quibus conceditur, recte illud inter rescripta connumeretur. Hostiensis in *Samma* v. t. numer. 1, id probans ex l. 2. c. de *Legib.* et c. *Constitutus*, de *Concess. præbend.* Siquidem.

7. *Motus proprius, quid? Recte connumeratur inter rescripta.* — *Motus proprius*, dicitur decretalis epistola summi Pontificis, in qua hæc clausula *motu proprio* inserta habetur, licet forsitan impetrans pro tali rescripto supplicaverit, c. *Si motu*, 23, de *Præbend.* in 6. et amplius dicitur infra, n. 202.

8. *Rescripta tribus partibus constant, narratione, supplicatione et conclusione.* — Resp. II. Rescripta tribus partibus constant, videlicet narratione, supplicatione, et conclusione. Ita Baldus in c. *Super litteris*, num. 14, h. t.; Engel., eod. n. 6. et alii. Et quidem priores duæ, videlicet pars narrativa, et supplicatoria, respiciunt impetrantem; tertia vero pars, nempe conclusoria, respicit principem rescribentem, eo quod ipse auditis motivis, et precibus supplicantis, concludat, sive decernat, quid circa tale negotium, sive personam sit faciendum, vel observandum.

9. *Rescriptum an habeat vim legis?* — Quæritur II. An rescriptum habeat vim legis? Resp. I. Rescriptum habet vim legis, sive constitutionis inter partes. Ita Felinus, ad rubric. h. t. n. 1. post Joan. Andream, et alii; ac patet ex l. 1. ff. de *Constitut. princip.* et §. *Sed et quod instit. de jure nat. gent. civil.* ibi : « Quod principi placuit, legis habet vigorem. »

10. *Facit jus inter partes. Non tamen habet vim legis universalis.* — Additur notanter, « inter partes, » tum quia rescriptum concessum uni parti, fit commune alteri parti, eique pariter prodesse potest; prout fit cap. II. de *Mutuis petit.* ubi rescriptum concessum actori, ut sibi justitia fiat appellatione remota, etiam prodest reo actorem reconvenienti : cui simile quid tradit Glossa in *Clement. Sæpe contingit*. §. *Si quid petere*, de *Verb. signif.*; tum quia rescripta, quæ in favorem privatorum impetrantur, licet jus inter partes faciant, nihilominus vim legis universalis non obtinent; eo quod non ferantur pro tota communitate, neque solemniter publicentur, prout requiritur ad rationem legis propriæ dictæ.

11. *Solvuntur jura in contrarium allegata.*

— Nec obstat textus cit. l. 1. de *Constitut. princip.* et §. *Sed et quod Instit. de jure nat. gent. civil.* ubi dicitur : « Quodcumque ergo Imperator per epistolam constituit, vel cognoscens decrevit, vel edicto præcepit, legem esse constat. » Nam hic *Lex* accipitur large pro quocumque principis placito, quod legis vigorem habere censetur : non autem pro jure communi, et universaliter omnes obligante.

12. *Rescripta corpori juris inserta, unde habeant vim legis universalis?* — Dices. Corpus juris tam canonici, quam civilis, magna ex parte constat ex rescriptis Pontificum, vel Imperatorum, datis ad particulares personas, capitula, vel communitates; ut patet ex inscriptionibus singulorum capitulorum, et legum; ergo etiam rescripta habent vim legis communis. Resp. neg. conseq. Nam, quod ejusmodi rescripta constituent jus universale, vimque legis communis habeant, id accidit non ex primæva ipsorum origine, sed quia postmodum publica auctoritate in corpus juris communis relata, et veluti leges communes solemniter edita fuerunt.

13. *Rescripta nonnunquam faciunt jus commune in consequentiam; et quando?* — Fatendum tamen, quod nonnunquam rescripta in consequentiam jus commune faciant : unde data conclusio quasdam patitur limitationes, quas allegat Felinus, loc. cit. num. 1. Imprimis enim, si princeps super dubio legis articulo per privatum interrogatus, suam de ejusdem vero intellectu rescribit interpretationem, et sententiam, tunc tale rescriptum per consequentiam facit jus generale quoad omnes. Ratio est, quia ejusmodi interpretatio censetur legi ab initio jam infuisse, Auth. de *Raptis mulieribus*, §. fin. collat. 9. Simulque, quod omnis legum interpretatio, sive in precibus, sive in judiciis, sive alio quocumque modo per Imperatorem, vel alium supremum principem facta, rata et indubitata haberi debeat, definitum habetur L. ult. c. de *Legib.*

14. *Rescripta nonnunquam faciunt jus commune in consequentiam; et quando?* — Deinde, si Papa delegat alicui quamdam causam sub certa forma definiendam, et postmodum emergat simile negotium, poterit etiam hoc sub eadem forma licite definiri. Archidiaconus in can. *Ignorantia*, dist. 38, numer. 4; Felinus, loc. cit. numer. 1, et alii. Idque desumitur ex can. *Licet* 16, quæst. 3, ubi Gelasius papa, de tali rescripto loquens,

inquit: «Tunc formam in cæteris cognitionibus, quæ sit sequenda, præscripsimus.» Concordat can. *Multi corriguntur*, 2, quæst. 1, et c. *In causis*, 19, de *Sentent. et re judic.* ibi: «In similibus casibus cæteri teneantur similiter judicare.» Et merito, quia de similibus idem est iudicium, c. *Inter corporalia*, de *Translat. episc.* Et quod uni dicitur, ad omnes extenditur, ut loquitur, et probat Glossa, cit. can. *Ignorantia*, dist. 38.

15. *Rescriptum large acceptum, comprehendit sub se privilegium, beneficium, mandatum, ac rescriptum proprie dictum.* — Quæritur III. Utrum sit differentia inter rescriptum, privilegium, beneficium, et mandatum? Resp. I. Si rescriptum sumatur generaliter, et largo modo, tunc illud comprehendit sub se privilegium, beneficium, mandatum, et rescriptum proprie dictum; ac proinde non aliter differt ab istis, nisi ut superius a suis inferioribus. Ita Abbas, ad rubric. h. t. numer. 2. Nam quodlibet horum consistit in certis litteris, sive epistolis, quibus Pontifex rescribit, atque respondet sibi supplicantibus, concedendo ipsis gratiam, beneficium, vel aliquid ordinando pertinens ad juris observantiam.

16. *Rescriptum proprie, quid? Et quomodo differat ab aliis enumeratis?* — Resp. II. Accipiendo rescriptum stricte, sic istud differt a privilegio, beneficio, et mandato. Ita Abbas loc. cit. Rebuffus in *Praxi beneficiorum*, § *Differentie inter privilegium, rescriptum et mandatum*, et alii. Ratio est, quia «rescriptum proprie» est id, quod princeps scribit ad juris observantiam, ut quando cuipiam delegato committit causam decidendam inter aliquos. Et ideo verba rescriptorum interpretationem recipiunt a jure communi, c. *Causam quæ*, 18, h. t. et ibi Abbas, n. 1. et alii. Quinimo, si rescriptum concedit aliquid contra jus commune, jam in eo mutat nomen rescripti, et dicendum est privilegium, can. *Privilegia*, dist. 3. ac notat Glossa cap. 1. § *Noscat, de Constitut.*, in 6. atque amplius n. 25. et 26. dicitur.

17. *Privilegium, quid?* — *Privilegium* e contra est, quod princeps contra communes regulas juris cuipiam concedit, seu rescribit. Dicitur enim privilegium, «quasi lex privata:» neque esset privata, nisi aliquid speciale indulgeret, d. can. *Privilegia*, dist. 3. et c. *Abbate*, 27. § *Contra de Verb. signif.* Quia igitur privilegium est contra jus commune, et omnis recessus a jure est odiosus, cap. 1. de *Filiis presbyt.* in 6. hinc privile-

gium est stricte interpretandum, ac restringendum, dummodo ex hoc non reddatur inutile. Rebuffus, loc. cit. n. 6. et alii, ac ex professo dicitur infra n. 130. et seqq.

18. *Beneficium, quid?* — *Beneficium* de se est nomen generale; ac late sumptum idem est, ac benevola actio gaudium tribuens capienti. Abbas in c. *Olim.*, num. 7. de *Verb. signif.* Et sic generaliter acceptum, comprehendit sub se privilegium; ac rescriptum, quia et in hujus concessione princeps facit gratiam; ut c. *Sedes* 15. de *Rescript.* eo quod non teneatur rescriptum dare, cum subjecti habeant iudices ordinarios. At vero beneficium stricte, et quantum ad propositum, accipitur pro gratia concessa a principe præter jus. Et tale beneficium est latissime interpretandum, c. *Olim tibi*, 16. de *Verb. signif.* cum similibus.

19. *Et quomodo differat a privilegio?* — Solummodo nota, quod privilegium, et beneficium, si stricte sumantur, inter se differant, dum privilegium proprie acceptum conceditur contra jus, beneficium autem præter jus, ut notat Glossa ad rubric. h. t. in 6. Nihilominus late loquendo, appellatione privilegii venit et beneficium; et e contra appellatione beneficii venit quandoque privilegium. Sperellus, decis. 21 *Fori ecclesiast.* num. 2. citans alios, et Layman in cap. 1. n. 7. h. t. ubi hac ratione distinguit inter privilegium stricte acceptum, seu quod est contra jus; et inter privilegium latius sumptum, quod est præter jus, sive ultra jus; atque ab aliis vocatur beneficium.

20. *Mandatum generatim sumptum, quid?* — *Mandatum*, tandem generalitè sumptum potest dici omne illud rescriptum, per quod princeps aliquid mandat seu præcipit. In quo sensu mandatum accipitur in c. *Cum contingat*, 24. h. t. et c. *Olim vobis*, 16 de *Restit. spoliat.* ibi: «Vobis dedisse meminimus in mandatis.» Quinimo hoc modo omne rescriptum potest dici mandatum in genere: quia in eo mandatur aliquid dari, permitti, fieri, arg. c. *Cum dilecta*, 22. h. t. ubi rescriptum ad lites, quod cæteroquin est rescriptum proprie dictum, appellatur *mandatum apostolicum*, Rebuffus, loc. cit. n. 53.

21. *Et quid intelligatur mandatum stricte acceptum, sive mandatum de providendo?* — Verum magis stricte, et ad propositum loquendo, per *mandatum apostolicum* solent intelligi litteræ illæ, quibus Papa mandat alicui provideri de beneficio ecclesiastico, seu

præbenda: prout liquet ex c. *Mandatum*, 38, et c. *Abbatem*, 40, h. t. et c. *Si capitulo*, 5, de *Concess. præbend.* in 6. Et istud alio nomine appellatur *mandatum de providendo*. Rebuffus l. c. § *de Mandatis apostolicis*, n. 2.

22. *Rescriptum quotuplex sit?* — Quæritur IV. Quotuplex sit rescriptum? Resp. I. Rescriptum generaliter, et large sumptum, dividitur in rescriptum secundum legem, præter legem, et contra legem. Ita Zoësius, numer. 5, h. t., et alii; ac probatur inductione, explicando singula membra. Et quidem.

23. *Rescriptum contra legem, præter legem, et secundum legem, quid?* — *Rescriptum contra legem* dicitur illud, quo aliquid conceditur contra communes juris regulas: ut fit in dispensationibus, et privilegiis. *Rescriptum præter legem* est, quod datur circa ea, quæ jure decisa non sunt: ac proinde tale rescriptum nec est contra jus, nec secundum jus: ut sunt litteræ beneficiales, item ea rescripta, quibus alicui supplicanti quidpiam gratiosè conceditur ex mera liberalitate principis, quod neque est secundum jus, neque contra jus: et proprio nomine dicitur *Beneficium* principis. Tandem *Rescriptum secundum legem* est, quod datur ad juris observantiam: ut cum princeps rescribit respondendo de jure consulentibus, aut delegat iudices, qui inter partes litigantes justitiam administrent, litesque dirimant: estque rescriptum stricte, et proprie dictum.

24. *Et quomodo sumatur in rubrica presentis tituli.* — Porro in rubrica presentis tituli accipitur rescriptum large: siquidem in progressu ejusdem tituli tractatur etiam de privilegiis, et litteris beneficialibus; uti patet ex cap. VI, VII, XVII, et XXX et aliis hujus tituli.

25. *Rescriptum contra jus non valet, quomodo intelligendum?* — Objicies: Rescriptum contra jus non valet; ergo frustra allegatur pro membro datæ divisionis rescriptum contra legem. Ant. patet ex l. *Rescripta C. de Precib. imperat. offerend.* estque canonizata in can. *Rescripta* 25. q. 5. ibi: «Rescripta contra jus elicita, ab omnibus iudicibus refutari præcipimus: nisi forte aliquid est, quod non lædat alium, et prosit petenti, vel crimen supplicantibus indulgeat.» Concordat textus in l. ul. C. *Si contra jus*. Resp. Antecedens cum suis probationibus procedere regulariter, seu quando aliunde non apparet de contraria voluntate principis: nam stante dubio, an princeps tale rescriptum contra jus commune concedere voluerit

præsumitur is ob multitudinem negotiorum fuisse circumventus, ipsumque rescriptum per importunitatem obtentum; ac proinde istud debet refutari. Glossa cap. 1. § *Noscat, de Constitut.* in 6. Fagnanus, in c. *Causam quæ*, num. 5. h. t. et alii. Quod si vero constet de certa principis scientia, et voluntate, valet rescriptum etiam contra jus; et speciali nomine vocatur *Privilegium*.

26. *Quando censeatur constare de principis voluntate, quod valeat?* — Censetur autem satis constare de voluntate principis, quando vel princeps interrogatus dat secundam jussionem, Auth. *Ut nulli iudicium*, § *Et hoc vero jubemus*, collat. 9; vel quando rescriptum continet clausulam derogatoriam legis, saltem generalem, «Non obstante aliqua lege in contrarium.» Nam in rescriptis ad derogandum legi non requiritur derogatio specialis, sed sufficit generalis. Felinus in c. *Nonnulli*, num. 10, h. t. et alii mox allegandi. Nisi forsitan jus commune habeat clausulam derogatoriam, vel det certam formam rescriptis impetrandis: prout accidit in decretis concilii generalis, quæ requirunt expressam mentionem concilii, ut sibi derogetur, juxta cit. c. *Nonnulli*, 27, et notat ibidem Abbas num. 9, h. t.; ac Fagnanus in c. *Ex parte*, n. 4, de *Capell. monach.* et alii; estque dictum tit. præc. n. 527 et seqq. (ADNOTATIO XXIII).

27. *Alia celebris rescriptorum divisio.* — Resp. II. Inter alias rescriptorum divisiones celeberrima, et in jure frequentissima est illa, qua dividuntur in rescripta gratiæ, seu ad beneficia; et in rescripta justitiæ, sive ad lites. Ita communis, haud obstante, quod nonnulli addant rescripta mixta; nam hæc participant de utroque membro prædictorum. Conclusio probatur inductione, atque explanatione terminorum.

28. *Rescripta justitiæ, seu ad lites.* — *Rescripta justitiæ*, sive ad lites, sunt illa, quæ per principem expediuntur ad delegationem, seu decisionem causarum judicialium: ut si Papa causæ ad se devolutæ iudicem delegatum constituat; vel quando de jure partium obscuro consultus interpretatur illud, et quid iudex in iudicando sequi debet, declarat. Et talia rescripta passim in toto corpore juris canonici occurrunt.

29. *Rescripta gratiæ, seu ad beneficia quid?* — *Litteræ beneficiales et mandata apostolica, quæ?* — *Rescripta gratiæ*, seu ad beneficia, dicuntur ea, quæ dantur ad obtinenda bene-

ficia ecclesiastica, et alias consimiles gratias: ut si Papa det cuiquam litteras, quibus mandat eidem provideri de beneficio ecclesiastico. Et talia rescripta alio nomine dicuntur *Litteræ beneficiales*, item *Mandata apostolica* de providendo, vel *Gratiæ expectativæ*: atque expediri solent in multiplici forma; prout refert Azorius part. II, lib. VI, c. XXXIII, quæst. 4, et 5. Pirhing, tit. *de Præbend.* num. 234. et seqq. et alii. Atque rescriptis istis in jure civili correspondent ea, quæ per Imperatores conceduntur ad dignitates, et administrationes civiles; ut L. *Sacrilegii*, C. *de Divers. rescript.*

30. *Rescripta gratiæ exemplificantur? Dispensationes concessæ circa unum dumtaxat actum, proprie non sunt privilegia, et cur?* — Dantur etiam rescripta gratiæ, quæ versantur non circa beneficia ecclesiastica, sed circa jus operandi: sive hæc concedantur præter legem, ut sunt mera beneficia principis, et nulli tertio præjudicium generantia; sive contra legem, ut sunt privilegia. Huc reducuntur gratiæ illæ, quæ proprie ac stricte privilegia non sunt, conceduntur tamen contra jus commune: ut sunt dispensationes, quæ dantur ad unum dumtaxat actum exercendum contra legem communem, v. g. ad contrahendum matrimonium, non obstante impedimento canonico, ad suscipiendos ordines ab eo, qui contraxerat irregularitatem, et hujusmodi. Tales enim dispensationes proprie privilegia dici non possunt, eo quod non concedantur per modum legis privatæ ad operandum ordinarie ac stabiliter contra jus commune. Suarez, lib. VIII, *de Legib.* cap. II, num. 9, et 10. Pirhing, h. t. num. 4.

31. *Rescriptum mixtum, quid?* — *Rescriptum mixtum*, quod nonnulli addunt, dicitur illud, quod continet gratiam et justitiam simul; ut si Papa cuiquam conferat, vel conferri mandet beneficium ecclesiasticum, simulque ad hunc effectum constituat executores collata sibi potestate compellendi rebelles. Nam quatenus confertur vel conferri mandatur beneficium, hac ex parte rescriptum illud est gratiosum: quatenus vero datur jurisdictione compellendi rebelles, sapit justitiam, sicque appellatur *Rescriptum mixtum*. Card. Tuschus litt. R. concl. 209, num. 7 post Geminianum, consil. 63, num. 24.

32. *In dubio rescriptum præsumitur esse justitiæ, et non gratiæ.* — Porro inter rescripta justitiæ, seu ad lites, et inter rescripta

gratiæ, seu ad beneficia, multiplex est discrimen, prout amplius ex progressu patebit. Solum hic præliminariter est notandum, quod in dubio rescriptum præsumatur esse justitiæ, et non gratiæ; ac proinde is probare debeat, qui dicit rescriptum esse gratiosum, sive continens gratiam, et non justitiam. Card. Tuschus, cit. concl. 109, n. 2. post Geminianum, loc. cit. num. 23. Pirhing h. t., num. 4.

## § I.

## DE IMPETRATIONE RESCRIPTORUM.

33. *Rescriptum potest impetrare, quæ expresse a jure non prohibetur.* Concessum intelligitur, quod expresse non prohibetur. — Quæritur I. Quis possit, vel non possit impetrare rescriptum a principe? Resp. I. Omnis ille, qui non reperitur expresse a jure prohibitus, potest impetrare rescriptum. Ita communis. Siquidem in materia communiter non prohibita, qualis est hæc, procedit illud vulgatum axioma: « Concessum intelligitur, quod expresse non prohibetur. » Glossa in c. *Inter corporalia*, §. *Non invenitur, de Translat. episc.* atque desumitur ex can. *Jam nunc*. 28. q. 1. et cap. I. *de Procurat.* in 6, cum similibus.

34. Prohibitum intelligitur, quod non reperitur concessum. *Concordatur cum priori regula.* — Neque obstat illud pariter receptum, et in cit. c. *Inter corporalia*, allegatum: « Prohibitum intelligitur, quod non reperitur concessum. » Non obstat, inquam: quia istud posterius axioma procedit dumtaxat nonnunquam (ut addit expresse textus) hoc est, sicut explicat Abbas ibid. num. 21, in materia regulariter, et communiter prohibita: nam, ubi aliquid generaliter prohibetur, quod expresse non conceditur, intelligitur denegatum. Clem. *Exivi*, §. *Porro, de Verb. signif.* et amplius Glossa in cap. I. §. *Concessum, de Supplend. neglig. prælat.* in 6. Secus est in materia communiter non prohibita: tunc enim locum habet prior regula.

35. *Edictum prohibitorium, et edictum permissorium, quid, et unde sic dicatur?* — Et nota occasione præmissorum, quod edictum aliud sit prohibitorium, aliud permissorium. *Edictum prohibitorium* dicitur, quod editur in materia de se et communiter permissa, sed in certis casibus prohibita. Hinc l. *Mutus*, ff. *de Procurat.*, dicitur: « Cum quæritur, an alicui procuratorem habere liceat, inspicien-

dum est, annon prohibeatur procuratorem dare: quia hoc edictum prohibitorium est » (supple cum Glossa ibidem, §. *Hoc edictum*) certarum personarum, quæ a procuratore constituenda removentur, unde aliis concessisse videtur: et si quis dicat non licere lege, vel constitutione, probet. Concordat c. *Cum apud Sedem*, 23, *de Sponsalib.* ibi: « Cum prohibitorium sit edictum de matrimonio contrahendo, quicumque non expresse (ut addit Glossa) prohibetur, per consequentiam admittitur. » Econtra *Edictum permissorium dicitur*, quando materia, quæ de se ac regulariter est prohibita, in certis casibus permittitur: nam edictum prohibitorium, vel permissorium, recipit denominationem a specialitate, qua ipsum aliquid prohibet, vel permittit, non autem a generalitate materiæ. Glossa magna, in cap. I, *de Procurat.*, in 6 et alii.

36. *Servi de jure civili non possunt rescriptum impetrare, nisi in certis casibus.* — Resp. II. De jure civili regulariter prohibitum est servis, sive mancipiis proprie dictis, supplicare principi, sicque ab eo rescriptum impetrare: nisi de domini nece vindicanda agatur, L. 1. C. *de Precib. imperat. offeren.* Aut nisi in atrocissimis causis id fiat, ut puta quia dominus in servos sæviret, arg. L. 2. ff. *de Is, qui sui vel alieni jur.* Hostiensis num. 4. h. t.

37. *Si tamen servus admittatur, valet rescriptum ab eo impetratum.* — Sciendum tamen, quod licet servus regulariter non admittatur, si tamen admissus fuerit, valet rescriptum ab eo impetratum pro alio l. *Universis*, C. *de Precib. imperat. offerend.* Imo etiam pro se impetratum valet, dummodo princeps seve-rit suam conditionem servilem; alias vero non. Glossa in cit. l. *Universis*, §. *Vel servo.*

38. *Hæretici de jure civili prohibentur rescriptum impetrare. Et quid de jure canonico.* — Resp. III. Hæretici de jure quoque civili prohibentur rescriptum impetrare. Ita habet textus expressus in L. 2. C. *de Summa Trinit.* ibi: « Sciant omnes, etiamsi quid speciale quolibet rescripto per fraudem elicit, ab hujusmodi hominum (hæreticorum) genere impetratum sit, non valere. » Et hæc procedunt de rescriptis imperatoriis, quamquam quia hæretici ipso jure sunt excommunicati, c. *Excommunicamus*, 13. *de Hæreticis*, cum concordantiis; de ipsis spectato etiam jure canonico data conclusio procedat, juxta mox dicenda de aliis excommunicatis. Unde

39. *Excommunicatus, an possit impetrare rescriptum?* — Quæritur II. Utrum excommunicati possint impetrare rescriptum pontificium? Resp. Rescriptum papale impetrare non potest excommunicatus excommunicatione majori; nisi in causa excommunicationis, vel appellationis ad suam defensionem. Ita communis, et patet ex c. *Dilectus*, 26. h. t. ubi rescriptum ab excommunicato tacita excommunicatione impetratum, censetur subreptitium, ac nullius roboris. Tum quia (ut inquit Glossa §. *Excommunicationis*) tacuit vitium suum; tum etiam, quia ingressus se communioni hominum, propter quod est puniendus, c. *Illud, de Cleric. excommunicat. minist.* unde inconveniens foret, quod ex eodem facto simul consequeretur commodum. Concordat textus expressus in cap. I. h. t. in 6. ibi: « Ipso jure rescriptum, vel processus per ipsum habitus non valeat, si ab excommunicato super alio quam excommunicationis, vel appellationis articulo, fuerit impetratum. »

40. *Non potest impetrare rescriptum papale, bene tamen aliud.* — Dicitur primo, *Rescriptum papale*. Nam allata conclusio procedit solum de rescriptis pontificiis, sive a Domino Papa emanatis (pro quibus etiam nomen *rescripti* simpliciter, et absolute prolaturum, in ecclesiasticis accipitur) non autem de rescriptis Imperatorum, aut aliorum Papa inferiorum: quia constitutio proxime memorata, cum sit odiosa, potius restringi debet, quam extendi. Navarrus, consil. 44. numer. 4 et 6. *de Sent. excomm.* Pirhing, h. t. num. 10. Layman, cap. I, num. 4, h. t. in 6. Suarez, et alii.

41. *Si sit excommunicatus excommunicatione majori.* — Dicitur secundo, *Excommunicatus excommunicatione majori*. Nam allegata jura, rescripti impetrationem denegantia, procedunt solummodo de excommunicato excommunicatione majori, ut desumitur ex c. *A Nobis, de Exceptionib.* et c. *Pia*, §. 1, eod. in 6, ac notat Glossa cit. cap. I, §. *Ab excommunicato*, h. t. in 6. Siquidem excommunicatio minor privat sola participatione, seu perceptione sacramentorum, c. *Si celebrat, de Clerico excommunicat. ministrant.* ac proinde non impedit impetrationem rescripti.

42. *Adeo, ut tunc neque per procuratorem possit impetrare rescriptum pontificium. Sive excommunicatio sit publica, sive occulta.* — Cæterum excommunicatus excommunicatione majori adeo est inhabilis ad impetrandum